

Dissertatio medica de paralyti ... / [Jacobus Soldevilla-Barta].

Contributors

Soldevilla-Barta, Jacobus.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Augustinum-Franciscum Rochard, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/aaqpr9mn>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO

MEDICA

DE

PARALYSI,

QUAM, in Augustissimo Ludovico Medico Monspeliensi, Deo duce, & auspice Dei-parâ, tueri conabitur,

AUCTOR,

JACOBUS SOLDEVILA - BARTA, Livienfis, Diocefeos Urgellenfis, apud Hispanos, Artium Liberalium Magifter, & jamdudum Medicinæ Studiosus, die 26 mensis Martii anni 1774.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.



MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXIV.

LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY

OF THE

AMERICAN MUSEUM OF NATURAL HISTORY

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK


NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK

NEW YORK



ILLUSTRISSIMÆ ATQUE NOBILISSIMÆ

D. D.

LUDOVICÆ-ELISABETHÆ
BOURGAT DE BIGO,

VIDUÆ D. D. DE BIGO ,

LEGIONIS PYRENÆORUM MILITUM
TRIBUNI &c.

S. P. D.

*M*ULTIS de causis , Tibi , ILLUSTRISSIMA
DOMINA , has meas studii medici elucubra-
tiones , te annuente , nuncupavi. Quod quidem

munusculum quamvis tuis in me meosque officiis
minime respondeat, tamen non dubito quin libenter
accipias in perpetuum grati animi monumentum.
Atque utinam illum diem mihi optatissimum videam,
quo pro tuis amplissimis erga me studiis atque
beneficiis tibi operam meam studiumque navare
contingat. De tuo autem nobili genere atque ingenii
dotibus nihil est quod dicam: mei enim officii solum
esse putavi, tua summa erga me merita prædicare.
Vale, mihiq; tui observantissimo, ut facis, in poste-
rum faveas, velim.



DISSERTATIO MEDICA

DE

PARALYSI.

I.

Paralyfis, quam latini nervorum resolutionem vocant, est motus sensusque vel alterutrius, in una vel pluribus corporis partibus, amissio, aut notabilis imminutio, cum affectarum partium flacciditate.

II.

Ex descriptione tradita patet latissimo sensu Paralyfin usurpari, atque sub hac descriptione plurimas comprehendi species, vel potius varietates; in quas divisa fuit à quibusdam auctoribus qui de hoc morbo conscripserunt. Paralyfin itaque distinguunt: 1°. In universalem quæ paraplegia vel paraplexis appellatur, cum musculi voluntatis imperio subjecti partium capiti suppositarum, aut dimidiæ corporis partis transversim sumptæ afficiuntur; & in particularem (quæ stricte vocatur Paralyfis) ubi unus dumtaxat artus aut musculus ægrotat. 2°. In perfectam, si motus sensusque una pereunt; & in imperfectam, dum insigniter imminuuntur, aut sensus viget in parte, quæ motu omnino privatur, aut motus superest tantum, quod quidem rarissimum est, & tunc potius anæsthesia, id est sensus abolitio, Aretæi sententia, quam paresis nominatur. 3°. In congenitam & adventitiam. 4°. In simplicem & complicatam. 5°. In protopathicam aut deuteropathicam &c. quæ quidem distinctiones maximam partem nobis supervacaneæ videntur.

III.

Ad motum muscularem tria requiruntur. 1°. Influxus nervorum;

2°. Integritas vasorum. 3°. Fabrica bona musculorum in omni textura. Quidquid ergo sympathiæ nervosæ efficacitatem tollit, nervos membris Paralyfi correptis prospicientes in eorum tractu vel origine subito destruendo, comprimendo, obstruendo, relaxando &c. Paralyfin proxime inducere valet. Ex quo apparet non ab omnimoda nervorum læsione atque compressione Paralyticam affectionem generari posse; compertum est enim, ut legitur apud Morgagnum, nervos immediate fuisse compressos ab anevrysmate, humore gelatinoso in hydropicis, quin nulla partium queis nervi prospiciebant, subsequeretur Paralyfis. Nervorum itaque læsio ut Paralyfin producat, sit subitanea, necesse est, nam *læsioni gravissimæ nervorum, vel in ipsa origine*, ut inquit Ill. hujus lycæi Cancellarius D. Barthéz, *non desubito sed paulatim inductæ, ita potest assuescere Principium Vitale; ut fere supersit integer influxus nervosus in organa quorum vitam ademisset eadem læsio in instanti accidens* (1). Hinc nervorum resectio, compressio (quæ, uti experimentis Halleri comprobatur, musculorum in quos nervus resectus aut vinculis constrictus dispergitur, motum convulsivum momentaneum afferunt) ab ulcere vel abscessu in partibus vicinis, inque eorum substantia, à tumoribus, ossibus luxatis, fractis, ligaturis, à vasis sanguiferis nimia sanguinis copia distentis, à sanguine vel lymphâ in caput vel cerebri ventriculos effusis, ut anatomia practica ostendit, sunt principia hujusce morbi. Huc etiam pertinent astringentia medicamenta, relaxantia, ut usus nimis calidæ &c. narcotica, quæ etiam externe applicata, partem, cui apponuntur, labefactant, & torpidam efficiunt, & innumera alia quæ brevitati consulens missa lubens facio. Animi quoque pathemata, ut terror, tristitia &c. Paralyfin procreant.

De sanguinis per arterias influxu ad motum musculorum necessario non convenit inter omnes Auctores. Verumtamen omnes fere in eo consentire videntur, quod nervi in actione musculari principatum teneant.

Musculi fabricam illæsam necessariam esse patet. Sic observatum fuit in crure Paralytici maximam partem musculorum in materiam informem abivisse ei analogam quæ in steatomatis reperiri solet.

Præterea membra dissita Paralyfi per sympathiam affici constat. Artuum tum superiorum tum inferiorum Paralyfis colicam pictorum nonnumquam consequitur: id quod metaptosi materiæ morbi-

(1) Orat. Academ. de Principio Vitali Hominis. pag. 21.

ficæ colicam producentis perperam tribuitur. (1). Num & halitus minerales, arsenicales, aliique nervos olfactorios feriendo, ipsaque venena ventriculum & intestina convellentia hoc pacto apoplexiæ atque Paralyfi ejus pedissequæ occasionem præbent?

IV.

In Paralyseos diagnosi tria consideranda sunt, ipse videlicet morbus, ejus causa, & partes affectæ.

Paralyfin præsentem ex positis cognoscere facilius est quam ejus causam; siquidem cujusvis partis motus & sensus aut alterutrus privatio, una solum membri affecti inspectione dignosci potest.

Causarum vero præcipue internarum cognitio multo difficilior est. Harum dignotio ex iis quæ præcessere, externis potissimum ac evidentibus, deducenda est, quæque ex inspectione atque ægri enarratione innotescere possunt. Si autem nihil externum antecesserit, inquirendum est an æger aliquo capitis morbo, v. g. apoplexia, gravedine, caro, vertigine, aliisque, laboraverit. Denique consideranda est ægri temperies, ætas, sexus, victus ratio, atque suppressæ ne fuerint evacuationes naturales aut consuetæ, accurate pervidendum. Quibus rite perpensis, habitaque ratione *juvantium & lædentium*, causa morbi intelligetur.

Nec difficultate caret partis affectæ diagnosi; quæ quidem ab Anatome, quæ partium situm, originem &c. docet, peti debet. Proinde causarum externarum disquisitione ad loci primario affecti cognitionem adjuvamus: quod duobus exemplis à Galeno prolatis confirmatur. Loci primario affecti dignotio maximam habet utilitatem ad hujusce morbi curationem, uti mox dicetur.

V.

Paralyfis in genere est affectus curatu difficilis, pertinax, & diuturnus.

(1) Probe memini me plures (colica Pictonum laborantes) sanasse; nullo remedio applicato ipsis partibus Paralyticis ad dissipandam morbosam materiam, sed solis remediis internis, una cum frictionibus, unguentis aromaticis, emplastris similibus, abdomini tantum applicatis. Swieten Comment. in Aphor. Boerhaave tom. 3. pag. 358.

Ipsemet Boerhaavius multos curandos habuit, quibus quatuor extremos artus plane exsiccatos vidit; sed per succum mitiorum antiscorbuticorum restituti sunt; per balsami Peruviani, de Copayba, assiduum usum, per saponis veneti usum quotidianum, per frictiones externas solius abdominis, per emplastra abdomini, non artibus applicata. Boerhaave apud De Haen Dissert. de Colica Pictonum pag. 380.

Paralyfis universalis particulari gravior; ista rursus ratione partis affectæ levis, periculosa, imo lethalis judicatur.

Perfecta, imperfecta gravior est. Recens faciliore negotio curatur, quam inveterata: adventitia, quam congenita: hemiplegia gravis jure censetur, maxime si post insultum apoplecticum contingat. Omnium periculosissima paraplexia habetur.

Paralyfis cujus causa in capite est, periculosa; secus vero, si nervum in tractu afficiat, nisi is functioni cuidam principi inserviat. Si abscessus aut suppuratio cerebri, si gravis ejus contusio, aut vulnus in substantiam ejus penetrans Paralyfin induxerit, affectus lethalis pronunciandus. Compressio nervorum à vasorum infarctu orta curationem admittit.

A nervis resectis aut fortiter diuque compressis, insanabilis.

Paralyfis apoplexiæ superveniens rarissime curatur, & plerumque in apoplexiam degenerat; quam denuntiant convulsio & intensissimus calor in oppositis membris Paralyfi haud affectis, ut etiam Paralyfis successive ascendens ab inferioribus ad superiora.

Paralyfis cum scorbuto, lue venerea, aliisque affectibus complicata, eo curatu difficilior, quo morbus, quicum conjungitur sævior graviorque est.

Si pars frigida sit, cito macie & atrophia consumatur, nulla curationis spes affulget; secum vero bonum est, si actu calida, non emaciata fuerit.

In quibus oculus lateris resoluti imminuitur exigua curationis spes est.

Tremor, convulsio, punctionis sensus, formicatio, dolor magnus & subitus in parte Paralytica, sunt morbi solutionis incipientis prænuntia.

Diarrhœa magna in primis cum tenesmo hæmorrhoidali conjuncta. Paralyfi medetur, modo vires ægrum non deficient, & viscera non fuerint exesa.

Paralyfin à plethora non productam ingens febris periodica, intermittens, tertiana vel quartana, in principio morbi, nempe cum ejus causa adhuc agit, ut plurimum solvit; quæ si febris vi non concesserit, desperata putatur. Contra vero febris languida è genio hecticarum nihil affert emolumenti.

VI.

Cum Paralyfis, quam pituitosam vocant, longe frequentior sit, quam reliquæ species, ejus therapeiæ potissimum insistemus: in cujus curatione, sicuti aliorum morborum, conatibus naturæ consulendum

est; qui quidem ita sunt ordinandi, ut nimis torpidi aut æquo debiliores excitentur, validiores compescantur. Si vero natura sibi omnino sufficiat, minime perturbanda. Igitur motus febriles, alvi fluxus, sudores cet. qui hunc morbum non raro curarunt, ne suppressas, sed prudenter regas, ubi salutaria esse naturæ molimina compertum habueris.

In Paralyfi ab humorum plenitudine exorta sanguis quidem detrahendus est, at caute & parca manu, in primis in morbo inveterato, & si ægri senes & imbecilli exstent. Purgantia salina, remedia antiphlogistica, & diæta tenuis, sunt etiam in Paralyfi sanguinea post phlebotomiam præcipua auxilia. Si autem catamenia, hæmorrhoides, lochia, hæmorrhagiæ narium consuetæ, fuerint suppressa, hujus modi fluxus statim revocandos esse evidens est, nisi eorum defectioni aliis evacuationibus succuri possit.

In Paralyfi vero à causa frigida & lenta, ut more veterum loquar, attenuantia, aperientia, hydragoga leviora, diæta exsiccans paululum corroborans, exercitatio moderata, cælo sudo ac sereno, duobus au tribus horis ante cibum, valde proficiunt. Purgantia quæ Boerhaavio in Paralyfi à mera inertia ad diarrhœam naturalis æmulam concitandam probantur, locum quandoque habere possunt. Quod ad emetica attinet, ea caute sunt adhibenda, & non nisi præmissis præmittendis, præsertim cum magna imminet congestio sive fluxio humorum ad caput; nam emeticorum vi humores, ut usus quotidianus ostendit, majori copia ad superiora coguntur; sicque morbus augeretur, & vera apoplexia hic semper timenda quandoquidem generaretur. Proinde, cerebro affecto, medicamenta excaustoria, excitantia, cephalica, nervina, verbo, omnia quæ anarrhopiam humorum adaugent, sedulo vitanda. Hujus census sunt omnia vegetantia bene olentia, quæ oleo essentiali acri aromatico scatent, ut cinnamomum, caryophylli, salvia, lavendula, stœchas, marum, abrotana, &c. Et partes animalium, ut castoreum, moschus, jufcula viperarum, cancrorum, & balsama artificialia sulphurata &c. Thermis etiam tam interne quam externe, frictionibus & linimentis irritantibus uti alienum est. Quo circa mirum non est si Clar. Mead (1) nonnullos noverit qui cum, medicorum jussu, ad aquas Bathonienses se contulissent, ex aqua calida egressi, mox iterum apoplexia correpti de vita migrarunt.

Cum vero causa extra cerebrum est, diversa quoque est instituenda therapeia, prout variat ipsamet causa morbum produciens. Si morbus

(1) Monit. & Præcept. Medica. pag. 37.

à cohibita transpiratione insensibili, vel humore rheumatico profiscatur, balnea tepida hanc evacuationem redintegrare valent. Diaphoretica tunc maxime conveniunt; nec eis in omni Paralyfis genere utendum censemus moniti à Dureto sudoriferis Paralyticos fieri desperatos, cum *sudores veniunt*, dia ten eclusin, h. e. *per exsolutionem*: quia *resolutæ partes*, omnino *effætæ redduntur*. (1).

Balneis thermarum uti licet, si tremor non adsit nervorum, quoniam *inimica habet balnea, assasque sudationes*; (2) sic ut aquæ leviores & minus calidæ præferantur, cum obstructio major quam atonia deprehendetur; è contrario vero calidiores & fortiores, quales sunt bellilucanæ &c. adhibeantur, ubi atonia major obstructione observabitur. Balnea vero tepida & vaporum aquæ calidæ, quæ in suppressa diaphoresi laudavimus, hic sunt perniciofa, partes enim nimium relaxant. Ad tonum amissum recuperandum præter auxilia præfata commendantur frictiones pannis laneis fumo mastiches, sarcocollæ, olibani, styracis calamitæ, imbutis, & topica stimulantia, & neurotica; quæ quoddam febris localis genus excitant. Hæc inter spiritus vini camphoratus & crocatus cum oleo vulpino vel lumbricorum terrestrium, ac spiritu salis ammoniaci, & unguenta nervina officinalia recensentur. Quæ omnia in artuum rigiditate & siccitate nocent, nam tum potius emollientia leviter animata sunt admovenda. Topica remedia non tam parti Paralyfi laboranti quam loco primario affecto applicentur, nam *stulte faciunt*, ait Jachinus, *qui ad resoluta membra operam ponunt, originē naturali ignota, nihilque proficies, nisi affectam prius partem noveris*: id quod Galeni observatis confirmatur. Huc etiam facit torpentis membri summæ cutis exasperatio, *vel urticis cæsx, vel sinapi imposito, sic ut ubi rubere cæperit corpus, hæc removeantur*. (3).

Nonnulli etiam auctores pulsationem leviter inflatis vesicis bubulis, ac ferulis oppicatis, & suctionem vasorum per cucurbitulas, commendant, cum artus paralyfi & atrophia tentantur.

Inustiones magni faciebant Ægyptii, nec Paralyfin insanabilem ducebant, nisi prius frustra tentata fuisset inustio. Hæc tamen in magna virium extinctione haud tentanda est, quoniam vis hujus remedii in doloris duratione in primis consistere videtur. Vesicantia quoque & cauteria idem præstant, & apponenda sunt prope originem nervorum:

(1) Hippoc. Coac. Prænot. interprete & enarratore Ludovico Dureto. pag. 230. 60.

(2) A. Corn. Cels. de Medicina lib. 3. cap. 27.

(3) Id. ibid.

sic in artuum superiorum paralyfi cauteria vertebri cervicis, & in inferiorum resolutione lumbis admoveantur, oportet. Vesicantia felicius partibus vicinis applicantur, quibuscum membro Paralytico mutuus intercedit consensus. Sic gangræna præcavebitur, quam sæpe inducunt caustica affectis partibus admota.

Vis electrica aliquando plurimis Paralyfi correptis magnæ fuit utilitati, eosque à morbo plane liberavit, ut videre est apud Celeb. De Haen, De Sauvages cet. Verum ab electricitate abstinendum in congestione humorum in cerebro, etiam imminente, quod non ita facile cognitu est; siquidem gravissimos morbos capitis, v. g. apoplexiam, vertiginem &c. produxisse observatum fuit. Ad eam ergo ut auxilium anceps sæpissime irritum, & tarde suos effectus præstans non deveniatur, nisi cum alia remedia nequidquam profecerint: tum quod nihil intentatum relinqui videatur, tum quod in morbo desperato satius sit anceps auxilium experiri quam nullum.

Paralyfis, quæ ab inanitione, ut à gonorrhœa prægressa &c. curatu difficillima habetur, vires enim desunt. In ea tamen diæta euechyma eupepta, atque medicamenta restaurantia, prosunt: parum etiam vini generosi concedatur. Fluxus, si superest, restringendus.

Dum capitis ictus aut gravis contusio in causa est ut Paralyfis superveniat, explorabitur an cranii fractura vel depressio fuerit; an a terebratione aliquid sperari debeat, cet.

Si globus plumbeus in corpus immissus aut aliud extraneum nervos comprimens, paralyfin inducat, eo extracto, Paralyfis evanescet, nisi diutius intra corpus fuerit retentum. Si os luxatum nervos compresserit, statim reponendum.

Si vero Paralyfis cum aliis morbis jungatur, tum morbus multiplex est, & remedia antiparalytica sunt maritanda cum eis quæ reliquis morbis conveniunt. Si à lue venerea vel scorbutica nascitur, mercurialia, ut panacea, ætiops mineralis, & præcipue mercurius sublimatus corrosivus à Cel. De Hæen laudatus: & anti-scorbutica, ut spiritus antiscorbuticus, amara cum antiscorbuticis combinata, ut vult D. Petit, &c. præscribentur.

FINIS.





DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.



R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus, Professor Emeritus.*

F. M. 13

